



**R. P. Christophori Gillii, Ex Brigantio Lvsitaniæ, Societatis
Iesv, Et in Conimbricensi Academia S. Theologiae
Professoris; Commentationvm Theologicarvm De Sacra
Doctrina, Et Essentia atque vnitae ...**

Gil, Christovão

Coloniae Agrippinae, 1610

Theologiae non subalternantur scientiae naturales speculativae,
subordinatur tamen moralis practica. cap. 7.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82291](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82291)

tum quia subiectum eius collocatur sub metaphysica subiecto, tum quia sumit aliqua principia naturalia. Verum si subalternatio sonet aliquem modum subiectionis, ac subordinationis, neque impropria admittenda est: nam sapientia, ac regina reliquarum scientiarum, qualem esse Theologiam supra ostendi, non subordinatur, aut subijcitur ancillis, sed potius eas sibi subijcit. Nec verò ex eo, quod subiectum eius directè subest subiecto Metaphysicæ dicenda est illi subalternari. Ad hoc enim requiritur ut subalternans, saltem quo ad notitias, ac rationes proprias communiores, descendat in subalternatam communicando illi clariorem notitiam terminorum: quod minime præstat Metaphysica in ordine ad Theologiam: cum enim hæc non procedat ex penetratione terminorum, sed ex revelatione ineidente, non indiget ad assensum suorum principiorum, vel conclusionum accurata, & exacta notitia apprehensiva subiecti, aut passionum de ipso demonstrabilium: sed sat illi est confusus conceptus illorum, qualem homines communiter habent absque scientia Metaphysica. Et ita ex eo præcise, quod versetur circa subiectum directè substantians subiecto metaphysicæ, non sumit illa ratio subalternationis. Unde *Ægid. ar. 1. citato*, quâvis concedat alias scientias naturales aliquo modo subordinari metaphysicæ, negat tamē subalternari illi Theologiam, quia non subijcitur, neque ordinatur ab illa, ex parte verò principiorum non nihil subordinationis apparet, etenim principia omnia, ex quib. per se pendet assensus conclusionis, sunt regulæ, ac mensuræ veritatis illius: at ex principiis naturalibus assumptis à Theologo ad ostendendam conclusionem aliquam Theologicam, per se pedit assensus Theologicus, quare ea habent rationem mensuræ, respectu Theologiæ, & consequenter hæc est aliquo modo subalternata ijs scientiis, à quibus principia desumit. Huic argumento facile respondere se putant *Ægid. ar. 1. citato ad 4. Hæric. q. 5. ad 3. & Aureol. vbi supra*, dicentes Theologiam non sumere principia ex scientiis naturalibus, quasi regulas, siue mensuras sui assensus, sed tanquam instrumenta, quibus utitur: quemadmodum militaris utitur instrumentis fabrilium ad suum finem consequendum, nec tamen proinde illis subordinatur, quin verò illæ subordinantur ipsi, siquidem habent finem subordinatum fini ipsius. Verum huius responsionis vim sequenti capite expendam. Nunc verò re-

spondeo, etsi ex hac parte non nihil subordinationis esse videatur, non tamen per se; quoniam, si eadem illa principia reuelentur, iam dari potest assensus Theologicus absque dependentia ad illa. Accedit quod, ut iam alibi dixi, principia naturalia quodammodo absorbent à principio fidei, & traducuntur à propria ratione formali, atque adeo ex nullo medio purè naturali, pcedit discursus Theologicus: & idcirco per principium fidei simul cōcurrens extrahitur Theologia à subordinatione respectu scientiarum naturalium: sed quoniam parū refert, utrum dicatur Theologia ratione principiorum secundū quid, per accidēs, & improprie subordinari scientiis naturalibus, facile hoc admitti potest absque eius detrimento: nam adhuc potest absolute dici sapientia, considerare supremas causas, & simpliciter reliquas huius vitæ scientias mensurare ad modum cap. sequente explicandum.

Theologiæ non subalternantur scientiæ naturales speculatiuæ, subordinatur tamen moralis practica.

CAPUT VIII

Dixi de subalternatione Theologiæ respectu aliquarum scientiarum. Nunc videndum an ipsi reliquæ subalternentur. Et quidem si de supernaturalibus sermo sit, perspicuum est nullam illi subalternari. De naturalibus est aliqua dubitatio. *Henricus in sum. art. 7. q. 4. sentit* scientias omnes naturales proprie, ac per se subalternari Theologiæ. Fundamentum eius est id, quod cap. 5. ex ipso retuli: nimirum quoniam existimat de ratione propriæ subalternationis non esse, ut subiectum subalternatæ scientiæ addat differentiam accidentalem subiecto subalternantis, neque ut ab illa sua principia sumat; sed satis esse ut ambæ agant de eodem subiecto differentes solum quoad modum considerandi quia, & propter quid: Theologia autem scit propter quid omnium veritatum, quæ sciuntur quia in scientiis naturalibus: ergo quamvis illarum subiecta non addant differentiam accidentalem subiecto Theologiæ, neque ab ea principia mutuuntur, verè, ac proprie erunt illi subalternatæ. Assumptio- ne ostendit, quoniam Philosophi in eis, quæ pertinent ad res creatas solummodò principaliter cōsiderant causas proximas colli-

gatas

*Ægidius.**Ægid.
Henricus.
Aureol.**Henricus.*

gatas naturaliter suis effectibus, quas supponunt, dicentes de eis quia sunt: non respiciunt autem ad primum omnium principium voluntarium separatum, quod est causa, propter quid omnium effectuum: id vero considerat Theologia ascribendo Deo causalitatem omnium, quæ sunt super principia ipsa, propria singulorum: Ex quibus non est certum iudicium quousque; recurratur ad primam causam, quam considerat Theologus, hoc est voluntatem diuinam, à qua omnis pendet effectus, iuxta sententiam Aug. lib. 3. de Trinit. quæ refert idem Henricus. *Nihil sit, quod non de interiori aula summi Imperatoris, aut mandatur, aut permittitur in istius totius creaturæ immensa quadam Republica.* Idem quoque; censet de practicis. Probat autem, quandoquid in his ipsum, propter quid sumitur à fine ultimo, respectu cuius à quolibet alio fine mediato sumitur ipsum quia: atque adeo scientia, quæ attingit finem ultimum operandorum, secundum quæ totum opus regulari debet, est subalternans respectu scientiarum inferiorum, quæ attendunt fines proximos, & intermedios non cognoscendo rationem finis ultimi: Deus autem quatenus est bonum creaturæ rationalis, est finis ultimus omnis scientiæ operatiuæ, omnis enim refertur proximè, vel remote ad felicitatem hominis, quæ consistit in possessione Dei, quatenus est bonum supernaturale: hunc autem finem inter scientias via sola Theologia attingit dictans propter illum omnia fieri debere: ergo illi subalternantur omnes scientiæ practicae.

II. Contra verò Durand. q. 8. prologi, nu. 5. q. & 10. Scot. q. 3. in 5. laterali. §. *Ad secundam questionem*, cum interpretibus ibidem, Basso. q. 6. prolog. ar. 3. §. ult. & ar. 4. §. *Ad rationes*; Henr. q. 6. §. *Ad tertiam questionem*, existimant nullam prius scientiam naturalem speculatiuam, aut practica subalternari Theologiae. Principium fundamentum est, quoniam scientiæ subalternare resoluuntur in subalternantem, scientiæ verò naturales resolui nequeunt in Theologia, ergo non subalternantur illi. Assumptio ostenditur quoniam assensus euidentis resolui nequit in obscurum, & inevidentem. Assensus scientiarum naturalium sunt euidentes, assensus verò Theologicus inevidens: ergo illi in hunc resolui haud quaquā possunt. Eademque ratio militat in scientijs practicis: nā licet Theologia, quatenus practica est, intendat ultimum finem, quæ tandem respicere debet fines omnium practicarum naturalium, directio tamen finium intermediorum ad ultimum non est euidentis, neque naturaliter agnoscitur ab alijs scientijs practicis: atque adeo ipsæ non recipiunt directionem à Theologia, nec per se respiciunt eius finem: neque ad perfectam rationem

scientiæ in suo genere indigent eius directione: perfectio quippe naturalis in suo genere potest esse completa sine admistione rerum ordinis supernaturalis: omnis autem scientia practica subalternata ad suam perfectionem indiget directione, & applicatione subalternantis ad finem eius ultimum: quare naturales practicae non subalternant Theologiae. Et confirmatur quoniam scientiæ practicae, quæ versantur circa eandem omnino materiam diuerso solummodo non sunt subordinatae, nisi interueniat aliqua ratio prioris tum in intentione, tum in executione, ita ut subordinata prius via executionis attingat suum finem, quam subalternans: hæc autem prius intendat proprium finem, qui est ultimus, quam illa suum, qui est proximus: hic ordo non seruatur inter Theologiam, & practicas naturales, ergo hæc non subordinantur illi: Maior propositio constat ex ratione propria subordinationis practicarum scientiarum, quæ consistit in eo, ut subordinata dirigatur ad finem intentum à subalternante, qui est ultimus, scilicet in executione, & proinde debet esse primus in intentione: contra verò fines subordinatarum sunt priores quoad executionem, posteriores quoad intentionem. Assumptio ostenditur quoniam ordo essentialis nullo casu, aut suppositione possibili prætermitti potest, eiusmodi verò ordo inter fines Theologiæ, & practicarum naturalium prætermitti potest, facta aliqua suppositione non impossibili; Etenim si Deus ordinasset hominem solum ad finem naturalem prætermitteretur eiusmodi ordo manentibus scientijs practicis naturalibus, adhuc enim dictaret de operationibus rectis, & rationi conformibus in ordine ad felicitatem naturalem, quin via intentionis præcederet finis supernaturalis: ergo is ordo non est essentialis: atque adeo ex eo non sumitur ratio subalternationis, quæ necessariò conuenit scientijs.

III. Obseruandum hic est scientias practicas habere duplicem modum subalternationis, nempe ratione subiecti & finis: inter quos est hoc discrimen, quoniam subalternatione ratione subiecti id habet se per additionem ad subiectum subalternantis: in subalternatione verò ratione finis subalternanti finis habet se per additionem ad finem subalternatarum, qui supponitur tanquam medium ad finem subalternanti. Priore modo scientiæ practicae subalternari possunt speculatiuis, quandoquid non repugnat ut subiectum, quod ab una scientia consideratur absque habitudine ad operationem, contractum per aliquam differentiam consideretur ab alia in ordine ad opus, ut constat in ijs practicis, quæ subalternant Mathematici

cis

cis speculatiuis. Posteriore modo nequaquam subalternari possunt: nam speculatiua non habent pro obiecto finem operabilem, atque adeo ratione finis non possunt subalternare sibi scientias practicas. Hoc posito quaestioni hoc ordine satisfaciam; primo comparabo Theologiam cum speculatiuis naturalibus, deinde cum practicis, idque dupliciter vel considerando ipsam quam speculatiua, vel quam practica est.

IV.

*Aegidius.
Palatinus.
Durand.
Scotus.
Bassol.
Hervaeus*

Dico primum. Scientia naturales speculatiuae proprie loquendo non subalternantur Theologiae. Ita expresse docent Aegidius q. 1. citata, art. 3. Palatinus q. 6. Durandus. Scotus. Bassolus & Hervaeus relati numero. 2. quam probant argumenta 2. loco proposita. Deinde vero ostenditur ex conditionibus propriae subalternationis traditis cap. 5. Priores enim, quae sumuntur ex parte subiecti, perspicuum est illi deesse: nam Deus, qui est subiectum Theologiae, est natura singularis, cui proinde subiecta scientiarum naturalium nequaquam subsunt, nec se habent per additionem ad illum, ut per se patet, deinde vero etiam deest ultima conditio sumpta ex parte principiorum: nam quamvis Theologia modo aliquo sit regula, & mensura veritatum naturalium, ad modum infra explicandum, eius tamen principia, aut conclusiones, non sumuntur a scientiis naturalibus: imo nec sumi possunt: ergo neque ex parte principiorum habet veram rationem subalternantis. Assumptionem ostendo, namque principia prima scientiarum naturalium sunt nota ex terminis, quae vero ita nota sunt, non possunt esse conclusiones Theologiae, quae est inevidens, ut superius ostendi: ergo principia scientiarum naturalium non sumuntur ex Theologia: Et confirmatur, quoniam plurima sunt principia scientiarum naturalium, quae non sunt reuelata, neque ex reuelatis deducta: quare illa sumi nequeunt a Theologia. Accedit quod scientia sumens principia ab alia habet indigentiam, neque potest scire propter quid absque ope illius: scientia vero naturales conclusiones suas euidenter, & propter quid agnoscunt absque ope Theologiae; nam quis dixerit Mathematicum, vel Philosophum naturalem non habere ullam demonstrationem propter quid, aut ad eam habendam Theologiae ope indigere? sane Aristoteles, & reliqui Philosophi admittunt in scientiis naturalibus demonstrationes constantes primis, & immediatis, causisque conclusionum, quae suapte natura gignunt scientiam: neque ullus ipsorum in scientiis naturalibus agnouit ullam indigentiam operis externae

scientiae supernaturalis: ergo non est vera subalternatio earum respectu Theologiae ex parte principiorum. Præterea vel scientiae naturales indigent per se ope Theologiae ad explicationem notitiam terminorum, vel ad probationem suorum principiorum: non ad primum: nam Theologia quoad apprehensionem, ac notitiam simplicem terminorum conuenit cum scientiis naturalibus, & potius ea ab illis mutuatur, quam ipsa illis impertitur: non ad secundum, ergo non est ex parte principiorum illa subalternatio naturalium ad Theologiam. Posterior assumptionis pars suadet, tum quia, ut supra dictum est, assensus euidentis ex terminis, qualis est principiorum naturalium, non indiget alia probatione: tum quia in Theologia non est unde principia reliquarum scientiarum probari possint: nam, quamuis forte vnum, vel aliud ex Theologicis principiis probaretur, id etiam de mente ipsius Henrici non est satis ad subalternationem, sed est opus, ut principia ex subalternante sumpta descendant in totam subalternatam, & omnes eius conclusiones: id vero praestari nequit a Theologia, quam viatores habent, non enim assignabitur vna eius conclusio, aut principium, quod necessario applicari debeat omnibus, ac singulis principiis, aut conclusionibus scientiarum naturalium. Nam cum Theologia procedat ex reuelatis, non plus se extendit, quam patiantur principia reuelata, ex reuelatis autem concludi nequeunt omnia, quae pertinent ad alias scientias naturales, ut per se patet: imo si attente res perpendat pauca admodum ad naturales scientias pertinentia, probari possunt ex reuelatis.

Huic argumento respondebit aliquis ex doctrina Henrici ubi supra dicendo ex reuelatione agnoscitur omnipotentiam, ac voluntatem diuinam, quae sunt prima principia, & causa rerum omnium creaturarum: atque adeo ex his principiis pendere notitia propter quid omnium, quae in scientiis naturalibus agnoscuntur. Verum solutio non tollit argumenti vim: Etenim scientia maiore ex parte non considerant rerum existentiam, sed connexionem necessariam inter passionem, ac subiectum: quae abstrahit a singularibus, quorum proprie est existentia: atque adeo eiusmodi veritates reduci nequeunt ad voluntatem diuinam, a qua non pendent rerum essentiae, & connexiones necessariae, sed existentia, & ea, quae existentiam supponunt. Deinde vero, esto depederet, ut scientia aliqua dicat scire propter quid effectuum, quos alii considerat, non satis est scire in confuso, & in comuni

ad cau-

ad causam eiusmodi. reduci omnes effectus, sed etiam requiritur, ut attingat id, secundum quod effectus continentur in causa; nam rusticus scire potest in confuso solē, ac stellas, secundum varias coniunctiones esse causam mutationum, quę diuersis annis temporibus interueniunt; verum quia nec varietatem coniunctionum agnoscit, neque percipit vim ipsarum, dici nequit scire, propter quid sit tanta varietas temporum: similiter quāvis Theologus ex reuelatis intelligat effectus omnes creatos reduci in Deum, tanquā in primam causam: ignorat tamen quid ipse decreuerit, aut quę in eius omnipotentia contineantur: multa enim continentur, quę ignoramus, ideoque non potest merito dici scire ipsum, propter quid effectum, quos scientiæ naturales discursu proprio assequuntur: atque adeo modus hic agnoscendi Deum tanquam primā causam non est satis ad constituendam veram subalternationem scientiarum naturalium respectu Theologiæ ex parte principiorum. Ex quibus etiam patet solutio ad argumentum Henrici: in primis enim fundamentum contentum maiore propositione cōmuniter rejicitur à Doctoribus, & merito: nam ut explicat D. Thomas ibidem lect. 2. subalternatæ subiectum se habet ad subiectū subalternantis per additionem, ut etiam se habet subiectum naturalis eius, de qua loquitur Philosophus, ad subiectum astrologiæ, Astrologus enim considerat numeros, ac motus astrorum, Naturalis autē cōsiderat eadem attracta cum additione sensibili, hoc est quatenus sunt ligna apparentia serenitatis, vel tempestatis, licet autē propositio vera esset, adhuc neganda est assumptio: cuius probatio supponit demonstrationes naturales per se recipere existentia, quod est falsum. Quod si hoc ipsum admittamus, adhuc respondendo particulares scientias considerare particulares causas iuxta singularū abstractionem: nam prima, ut potest cōmunis omnibus, & singulas res proprios motus agere linens, non venit in cōsiderationem singularium scientiarum, sed supponitur ab omnibus, nec proinde Philosophi sciūt solū quia, quoniam posita rerum existentia, & abstrahendo à causa ipsius, sequi necessariō debet effectus, ad quos causę naturę ipsa sunt determinatę, & ex euidente notitia causarū euidenter agnoscuntur effectus: atque adeo licet aliquis ex imperitia Deū esse nesciret, si tamen Mathematicę studio incumberet, ex terminorū explicatione nō minūs acquirere, verā scientiam quā Theologus. Quin vero, & si notitia primę causę per se necessaria esset ad habendā scientiā propter quid

rerum omnium naturalium, ad id non sufficeret ea, quę per Theologiam habetur, quoniam non attingit Deū secundum particulares rationes, quę continent diuersos effectus: quod omninō requiritur ad hoc, ut dicatur scire propter quid ea, quę ab alijs scientijs agnoscuntur.

Dico secundum scientiæ naturales, si nō proprię, aliquo tamen modo subordinantur Theologiæ. Hanc statuo secundum mentem Ægidij q. citata art. 1. & 3. Aureo. q. vltima prologi art. vlt. m. ad 2. argumentum ex 4. obiectis: & Henrici ubi suprà. eiusdem sententię sunt Doctores, qui affirmant Theologiam esse principalem alijs imperantem, & in sui obsequium omnibus vntem. Ita Sanct. Thom. quęst. vlt. a prologi art. 1. in corpore, & quęst. 2. super Boëtium de Trinitate art. 3. ad 7. Henricus in summ. art. 7. qu. 6. Gerson 3. p. lib. 3. de consolat. Theologiæ prola 4. alphab. 55. lit. y. & 4. p. tracta. de concordia Metaphysicę alphabet. 20. lit. T. & V. Marfil. quęst. 2. prologi art. 2. fundamentum est, quoniam cum Theologia habeat rationem sapientię, necesse est ut habeat aliquam supereminentiam suprà scientias naturales, quę subiectio habet rationem cuiusdam subordinationis, & subalternationis. Ea verō sumitur partim ex subiecto, partim ex principijs: ex subiecto quidem non ratione vniuersalitatis, sed excellentiæ, & causalitatis, quandoquidem Deo omnia subiunguntur, non ut vniuersali in prædicando, sed ut præstantissimo enti, quod est mensura cæterorum, & vniuersalissimę causę, à qua omnia pendent, & omnia illum respiciunt ut finem vltimum, in quem tendunt. Et hoc modo Ægid. concedit scientias naturales subalternari Theologiæ. Ex parte verō principiorum, eatenus subiectas habet scientias naturales, quatenus nititur superioribus principijs, quę non retractat ob vllam apparentem euidentiam principij inter Philosophos vsurpati, imò dogmata Philosophica expendit ad regulam primę veritatis respuendo, & corrigendo, si quę illi contraria occurrunt, approbando verō, quę eidem consentiunt, ut docet Sanctus Thomas 1. part. quęstion. 1. artic. 6. & in 2. Scripto quęst. 2. prologi art. 2. ad 2. Henric. art. citato. quęst. 6. Gerson. 3. part. cit. & 4. p. sermone de Angelis, alphabet. 1. lit. R. Ex fide enim, ac Theologia habemus quarundam rerum naturalium cognitionem: quam sola ratio naturalis acquirere non poterat, & expositionem quorundam principiorum naturalium,

VI.

Ægid.

Aureol.

Henricus.

S. Thom.

Henricus.

Gerson.

Marfil.

S. Thom.

Henricus.

Gerson.

quę

quæ a Philosophis absque distinctione admittuntur. Et hac solum ratione Theologia confert aliquid principiis Philosophicis, quali superior mensura eorum veritatem, vel falsitatem dijudicando, nõ quidem in vniuersum, vt recte notat Henricus q. 6. citata ad 6. nam pleraque sunt, de quibus Theologus ex proprijs nullum iudicium ferre potest, quãdoquidem nullam habent affinitatem cum reuelatis, ex quibus Theologus procedit, qualia sunt, quæ pertinent ad scientias Mathematicas, & plurima etiam ad Philosophiã naturalem. Porro argumenta Bassol. non pugnant contra hanc assertionem: nam ad hunc modum subordinationis non requiritur euidẽtia ex parte scientiæ superioris, sed sat est certitudo veritatis: qua confutetur falsitas opposita, vel fulciatur veritas consonans principiis, quæ sumuntur, vt mensuræ regulandi: & ideo, quamuis Theologia sit inuident, tamẽ propter certitudinem veritatis, qua excellit omnes scientias naturales potest tanquam Superior dijudicare de dogmatibus naturalium iuxta regulam primæ veritatis, quam sequitur.

VII.

Henricus

Dico tertium scientiæ naturales practicae habent modum aliquem peculiarem subordinationis respectu Theologiæ. Hęc est de mente Henric. q. 4. 6. & 8. cum verò practicae vt dictum est supra subalternentur speculatiuis: Itemque practicas secundum rationem subordinationis ad eundẽ finem vltimum, naturales practicae non subalternantur Theologiæ quatenus speculatiua est. Ratio est, quoniam hæc subalternatio præcipue consistit in ratione principiorum, quæ sciuntur à subalternante, supponuntur à subalternata, ita vt ipsa sciat quia eius, cuius subalternans scit propter quid: hoc autem non conuenit moralibus practicis respectu Theologiæ: nam ipsæ habent propria principia ex terminis nota ad quæ resoluunt suas Conclusiones, nec ad id indigent auxilio Theologiæ, nisi forte communi modo paulo ante explicato, vt corrigantur ab ea, si quomodo, ppter obscuritatem luminis naturalis interdum exorbitent à verò. Porro conclusiones eas, quæ per se pendunt ex aliquo principio reuelato, exempli causa, Trinitas est adoranda, confessio integra, & cum debito dolore facienda, & similes deducere ad ipsam Theologiã spectat, & non ad Philosophiã moralem: & ideo ex hac parte non sumitur ratio subalternationis. Neque item ex eo, quod in Sacra Scriptura traduntur pleraque precepta iuris naturalis alioquin euidẽtia lumine naturæ, ex quibus conclu-

siones practicae colliguntur: Etenim Philosophia moralis elicit sua dictamina practica ex iisdẽ principiis, non quatenus substant diuinæ reuelationi, sed quatenus naturali lumine innotescunt: discurre autẽ ex iisdẽ quatenus reuelata sunt, non illius, sed Theologiæ proprium munus est. Intelligi verò assertio propofita de subalternatione, siue subordinatione ratione finium, quo modo accepta probatur argumento secundo Henrici initio propofito, nempe quia fines reliquarum scientiarum tendunt omnes ad finem Theologiæ, vt etiam dixit D. Thomas 1. p. q. 1. art. 5. cuius argumento non satisfacit solutio, quam adhibet Durand. numer. 9. & Bassol. vbi supra, nimirum quod scientiæ practicae naturales non dirigunt operationes, quas mēsurant ad finem sup̄naturalẽ, nec illis euidens est huiusmodi directio: Enim verò ad subordinationem practicarum non omnino requiritur, vt ministrantes per se directè, ac euidenter intendant finem architectonicè vtẽtis ipsarum ministerio, sed sat est, vt principalis intẽdens vltimum finem omnium, eas applicet ad operationes proprias, vel ipsarum instrumentis vtatur, ex intentione vltimi finis: Exempli causa ars frenofactoria, & fabricatrix armorum subordinatedur militari, quæ est in duce, & hæc politica, quæ est in Summo Principe, vel concilio Reipublice, nec tamen opus est, vt fabricator armorum intendat finem victoriæ, sed vt ea fabricetur apta ad suum munus, & si ignoret modum ipsi vtendi: sufficit autem, vt milites ex præscripto Ducis vtantur armis ad finem victoriæ: quam et si ipsi per se non intendant, & frequenter ignorant, quomodo ex suo facto sequi possit, quia iubentur ea facere, quorum habitudinem ad victoriam ignorant, operantur tamen propter illam ex directione ducis, qui scit quomodo singulorum opera, atque industria ad vniuersalem finẽ victoriæ accommodari debeat, eaque ad eum finem dirigat: hunc etiam sæpẽ latent consilia Principum, & ignorat quomodo militie, immò, & victoriæ, quam intendit vsus redundet in bonum commune Reipublice: Et tamen artes, quæ fabricantur arma, subordinantur militari equestri, & pedestri, hæ scientiæ ducis, hæ autem ciuili: Eodem prorsus modo cum finis Theologiæ sit supremus, atque vltimus, in quem practicarum omnium fines tendere debent, & ea tanquã Regina ceterarum operationes, ac fines dirigat ad proprium finem, qui est sup̄naturalis hominis beatitudo: quamuis hæc habitudo ignoretur ab alijs scientijs, non

proin-

proinde desinent habere rationem subordinationis, quæ potius consistit in passivo usu ipsarum, & operationum, quas superior scientia ordinat ad proprium finem, quam in cognitione finis ipsius: etsi enim illum ignorent dummodo sciant proprium, atque immediatum, & conformiter ad illum operentur, ita ut is sit aptus dirigere in ultimum finem, quem superior sententia intendit, verè illi subordinantur.

VIII.

Ex his facile soluitur secundum argumentum adductum pro opinione Basil. negandum quippe est, quod supponitur, nimirum ad subordinationem practicarum requiri ut directio, & habitudo operationum, seu finium ipsarum ad eum, quem principaliter intendit subalternans, sit euidenter cognita à scientia subordinata. Negandum etiam, quod additur, scilicet practicas morales non recipere directionem à Theologia: nam cum intentio finis sit mensura mediorum, Theologia intendens finem ultimum supernaturalem prescribit normas superiores dictaminibus moralibus scientiarum naturalium, iuxta quas illa moderanda sunt; quod verò dicitur practicas naturales per se non respicere finem Theologiæ, verum est, sed ex eo nihil contra dicta sequitur, lat enim est ad subalternationem, de qua agimus, ut respiciant proprium finem, & operationes, quas Theologia dirigit ad finem supernaturalem. Ad confirmationem respondetur subordinationem inter practicas scientias quandam esse à natura, quomodo omnes subordinantur politicæ, quæ intendit felicitatem civilem naturalem, aliam ex ordine gratiæ, quam omnes habent ad Theologiam secundum rationem practicam. Inter quas partim conuenit, partim differt: conuenit quidem, quoniam scientia superior dirigit subordinatas ad finem proprium ipsius, in quo consistit propria ratio subordinationis: differt autem, quoniam hæc directio suapte natura semper esse potest à suprema practica naturali, non semper autem à Theologia, sed facta suppositione reuelationis diuinæ, & prædestinationis creaturæ rationalis ad finem supernaturalem, ideoque licet aliter esse poterit, non proinde modo desinunt aliæ scientiæ subordinari Theologiæ: quemadmodum, licet esse poterit status hominum purè naturalis absque gratia, & caritate ordinis diuini, quæ facta hac suppositione, tunc non dominaretur alijs virtutibus, non proinde modo desinit ea esse omnium Regina, earumque actus imperare, ac dirigere ad proprium finem, ut explicat D. Thomas in 3. d.

27. q. 2. art. 4. quæstiuncula 3. & secunda secundæ. q. 23. art. 4. in responsione verò ad 2. tribuit ei similem modum dirigendi illi, quem Philosophus lib. 1. Ethicor. cap. 1. tribuit habitibus practicis architectonicis respectu ministrantium, in hoc ergò consistit subordinatio, ut quemadmodum virtutes naturales in statu priori naturali, non indigent directione, aut imperio caritatis supranaturalis, constituto verò statu ordinis supranaturalis ex decreto diuino, & communicatione donorum supranaturalium, iam respectu finis supranaturalis virtutes ceteræ manent subiectæ charitati, ad cuius imperium proprios actus eliciunt, ita scientiæ practiciæ naturales in statu purè naturali, ac respectu finis ultimi naturalis, non indigent per se directione Theologiæ, atposito supranaturali ordine, & præstito nobis à deo fine supranaturali, quæ Theologia practica intendit, eius est naturales practicas ad eundem finem dirigere.

TRACTATUS

SEPTIMVS, DE LOCIS THEOLOGICIS.



OSTENDAM de causis, subiecto, & natura Theologiæ dictum est, sequitur, ut priusquam aggrediar ad disputandum de Deo, non nihil dicam de principiis Theologicis; nam auctore Philosopho lib. 1. Poster. cap. 1. ante ingressum scientiæ supponere oportet de principiis quod sint vera. Hanc tractationem alij de locis appellant, quatenus scilicet sunt notæ quædam, ac sedes, ex quibus argumenta depromuntur. Ad quem modum Aristoteles, & post eum Marcus Tullius libros Topicorum scripserunt, & inter Theologos Melchior Canus de locis Theologicis iustum volumen edidit. Non est autem præsentis instituti singulos eorum exactè explicare: plerique enim ad aliâ Theologiæ partem, maxime ad materiam de fide, pertinent: sed breuiter ostendere, quam vim, & usum habeat ad discursus Theologicos. In primis autem vim, ac naturam loci Theologici describam, tradamque discrimine eius à locis scientiarum naturalium, simul etiam in suas partes diuidam: deinde verò de singulis ordine differam, præcipuè verò de Sacra Scriptura, quæ primum, ac principium locum vendicat.

Aristot.